Anemone tenuifolia flore multiplici.

Ciſtus femina.

Narciſſus totus albus prior.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini,
Architypographi Regij:
M. D. LXXVI.

De Tulipa.

ISTIVS plantæ peregrinæ, vulgò Tulipa dictæ, duo genera obſeruaui: non quòd forma inter ſe differant, ſed quòd alterius flores præcoces eſſe ſoleant, alterius ve-
Caualá lalé. rò ſerotini. Hoc genus Turcas ſua lingua Caualá lalé
Café lalé. appellare animaduerto, illud autem Café lalé: à locis nimirum, vnde primùm Conſtantinopolim fuerunt illata, nomine indito: lalé enim illis florem ſignificat.

Tulipa. VTRVMQVE verò pedalem profert caulem, interdum etiam cubitalem aut ampliorem, rotundum, virentem, & breui quadam incanaq; lanugine aſperſum, non concauum, ſed firma medulla plenum: hunc plerunq; terna amplectuntur folia, nonnunquam quaterna & quina, inferiora lata admodum & liliacea, longiora tamen & craſſiora, carinata, ſupra terram ſeſe pandentia & contorquentia, ſuperiora autem minora & anguſtiora, eaq; vel propendentia, aut ſurſum erecta: omnia autem colore ex cæruleo virente, aut ærugineo, velutiq; farina aſperſo, & oris interdum adeò reflexis vt ſinuoſa videantur, interdum minimè. Summo cauli inſidet magnus flos ſurſum ſpectans, ſex foliis vt plurimum conſtans (tametſi & ſeptenis & octonis conſpexerim) calathi aut cyathi modo ſeſe in fundo pandens, ex quo ſena, aut totidem quot foliis conſtat, ſtamiña prodeunt, modò lutea, modò pallida, modò nigricantia, pediculis etiam quæ ſtamina ſuſtinent, mirum in modum colorem variantibus. Excuſſo flore, ſuccedit membraneum triangulare caput, ſatis magnum, quandoq; oblongius, quandoq; breuius, ventreq; magis prominulo: quo in tres partes à ſummo dehiſcente, conſpiciuntur ſex ordines ſeminis plani, cartilaginei, liliacei ferè, & circinatæ propemodum rotunditatis, pallidi, fului, aut rubeſcentis. Radix bulbacea interdū breuior eſt,

Tulipa.